



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MDLXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

spiritualis suæ viæ ducem futurum , sed antehac ignotum , reperiret; diuinitùs è cælo allata vox , illum ad dexteram in platea , & ad tertiam sinistræ partis domum mittere videbatur . Ibi quæsumus P. Petrum Fabrum reperit, ductu Virginis consultricis .

895 P. Consalus Sylueria Monomotapam apulsus, elegantem , quam secum habebat , Deipara imaginem Regi petenti & venerabundo dedit, ut habet Acosta , eidemque quasi facellum in cubiculo Regio adornauit . Narrant, ipso Rege id illis testato, Lusitani noctibus deinceps circiter quinque Reginam cælorum eâ ipsâ specie quam tabula ostenderet , diuinâ circumfusam luce , suauique splendore fulgentem, augustissimo simul , ac iucundissimo aspectu dormitanti Regi adstitisse: quod ille manè Matri narrabat rei nouitate vehementer attonitus; itemque Lusitanis , qui rem statim Consaluo renunciabant. Postremò Rex Consaluum ipsum accersit ; ait se mirum in modum angi , quod sermonem Reginæ eius quæ secum singulis noctibus loqueretur , non intelligeret . cui Consalus , cum eam esse linguam diuinam dixisset , quam nemo cognosceret , nisi qui sacrosanctis eius Reginæ Filij legibus pareret , quinto circiter & vigesimo post aduentum Consalui die Rex & Mater à Consaluo sunt baptizati .

ANNO MDL XI.

896 Egidius Montanus culpam quam contra obedientiam commiserat (quod est in Societas historia) ritè eluit, ac Romæ tertiae in Grammatica classi præfectus est . Narrauit ille deinde sub mortem Patri Emmanueli Sà , & alijs; sibi nocte quædam intempestâ vigili visum cubiculum in quo iace-

*Imagines  
Deipara  
venerari.*

*Inspira-  
tionibus  
bonis pa-  
rere.*

ab. 1561.

jacebat totum magno iucundoque completum  
lumine: deinde visum sibi, cubiculi tecto patefacto,  
ita ut cælum pateret, sustolli in altum, & quasi  
plumbeā circumdatum ueste; quæ uestis, tanquam  
colliquecente sensim, & collabente plumbō, quò  
ipse altius attollebatur, hoc siebat leuior: cùmque  
euectus tandem ad solium augustissimum Dei esset,  
nec auderet oculos ad eius conspectum erigere,  
iussum à Deo bono animo esse, seque intueri: iam  
condonatam noxam cuius puderet. Cùm ergò  
animo ex ijs verbis sumpto fixisset in DEVM oculos,  
eoque spectaculo frutus aliquamdiu esset, cognouisse,  
die Annunciationis Deiparæ horâ diei supremâ sibi  
morieundum; & annuo circiter spacio duos insignes  
Collegij homines erectum iri. Hæc Sacchinus.

*De propria-  
tate pec-  
cato non  
esse fine  
metu.*

n.65.

897 Hoc anno P. Bernardino Realino diuina  
in se beneficia expendenti, ex apertâ serenâque nu-  
be videri visa est & loqui Augusta cæli Regina  
manum porrigens, & dicens: *Veni, amice, Veni!*

A N N O M D L X I I .

898 P. Antonius Martinez Rosarij MARIANi pie-  
tatem in sacra quadam Societatis expeditione ar-  
denter explicabat, omnesque ad illam cohortaba-  
tur, à populo dictus cereus ardens Beatissimæ Virginis,  
cognomento inde nato, quod eam Antonij pieta-  
tem palam honorasse dictus sit Deus. Per eos  
enim dies quibus hæc agebat Antonius, illustris  
candela super B. Virginis imaginem ardere diuini-  
tus conspecta est, symbolum cordis & linguae Anto-  
nij puro MARIA Deiparæ amore ardentis, & alios  
accendentis.

*ob. 1562.  
6.Iuly.*

*De B.V.  
ardenter  
loqui.*

A N N O M D L X I I I .

899 P. Consaluo de Mello moris fuit, vt in iti-  
neribus ad Beatissimæ Virginis amorem se liberalius

*ob. 1563.  
14.May.*

*per*